

# COELESTIS

## GLOBI COMPOSITIO.



In globoso corpore suscipiatur A punctū, e quo due aut tres describantur circulorum circumferentiæ, quarum remotissima in quatuor equas secetur partes. Affigatur autem ipsi A puncto chartacea fiducia regula, aut e materia alioquin curuabili facta, & ex eo per singula puncta quartarū ducantur rectæ, quæ reliquas quoque in totidem æquales partes diuisident. Hæ in oppositam A puncto partem producantur, & ubi sese inuicem secuerint, erit B punctū. Hisce itaque duobus punctis affigatur regula, & ex ijs ducantur arcus, hi ab A in

B diuidantur in partes duas in C puncto, positoque (habebis autem in horum compositionem paratum circinum, cuius crura sint inflexa) in A punctum circini uno pede, altero in C extenso describatur circulus Zodiaci, qui in 12. partes equales diuidatur, & aperto ita circino describantur circuli longitudinū, transeuntes per has 12. diuisiones, subdividantur deinde singulæ in 30. partes, huic ambitus designentur æquabiles, tantum a priore distantes, ut singulæ diuisiones graduum in unum eorum, quæ concludunt spacium, in alterum uero sectiones graduum per quinarium aut denarium distinctorum, inseri possint. Numerus quoque tam signorum quam graduum in C puncto incipiat, uergatque dextram uersus. Arcus uero A C B diuidatur in 180. partes æquales seorsim in linea fiduciali, quæ affigetur rursus A & B punctis, incipiat autem in C puncto numerus graduum, & delinat in A ac B punctis, & hic quidem numerus graduum latitudinum.

Ex tabulis autem stellarum fixarum ad tempus datum desumantur signa gradus &c. longitudinum, gradus quoque ac minuta latitudinis cum parte eiusdem, numerabitur ergo longitudo in Zodiaco, & horum termino applicabitur egrediens ex A & B punctis regula, latitudoque in regula hac diuisa computabitur, a C quidem in A si septentrionalis, aut a C in B si Meridionalis, & ubi ea finitur fiat punctum in globo cui ascribatur numerus in propositæ stellæ sinistra repertus, & hac lege singula stellarum loca imponantur, eaque debitis figuris circumscribantur, quæ aut ex imaginibus Durerij, aut Higiniij a D. Medebachio æditi petentur. Iam in orbe, quem A C B arcus ad rectos secatur angulos, ab A in eum ambitum, qui signo ☊ est notatus, numerentur partes 23 minut. 29. maxima uidelicet declinatio Solis, cuius terminus sit D polus mundi arcticus, itidem quoque in opposita parte fiat, eandem numerando in eodem ambitu a B puncto uersus signū ♋, ex quibus ad datam A C quantitatem describatur circuitus equatoris, qui incipiendo in C puncto in 360 partes diuidatur, & numerus graduum in eandem partem uergat, in quam ordo signorum, habeatque duos ex eodem centro deductos orbis, quorum æquatori proximus angustum cum eo spatium compræhendat pro distinctione graduum, remotius uero latius pro numeris graduum per quinarium aut denarium distinctis. Iam ex polis A & B ad quantitatem A D describantur circuli arctici & antarctici. Item posito uno circini pede in A & B puncta, alter extendatur in principia ☊ & ♋ & describantur tropici ☊ & ♋. Quod si progressorium parare quispiam uoluerit, ex A & B punctis per singulas diuisiones ducantur arcus latitudinum, & numerus incipiat in Zodiaco, delinatque in A & B punctis. Circuli autem longitudinum

per